



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo XVI. Antiqua Monumenta Ad Historiam Mediae Aetatis Illustrandam,
Nunquam Edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1601

In Epistol. X.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64144)

Licet in m. s. codice nullus titulus sit præfixus huic epistolæ, certum est scriptam esse nomine Caroli Magni ad Nicephorum Imperatorem Constantinopolitanum post mortem Pipini Regis Italiae, qui obiit 8. Id. Iulij anno 810. Meminerunt autem Annales legationem quam Nicephorus tum temporis ad Carolum miserit. Quoniam vero Odorannus Alcuinum anno 803. obiisse scripsit, aut hanc epistolam ab eo non scriptam, aut Odorannum falsum esse oportet.

fol. 30. v. 19.

Primo imperij tui anno) Illustrissimus Baronius tom. 9. c. 1. Egolismensi meminit huius legationis; eamque ad secundum annum imperij Nicephori referri debere putavit; ad annum nimirum Christi 803.

Ibidem.

Michaëlem Metropolitanum) Nomina horum legatorum apud alios variant, hic à typographo, non, ut volumus, reddita sunt. Codex m. s. ita claris literis habet: Michaëlem Metropolitanum, & populū assiduū, Abbatē, Calistumq; gloriosum candidatū, ad c. n. p. & f. a. a. h. d. in c. c. l. tua misit dilectio, velutin specula positi. Ut per populū assiduū intelligat comitatū legationis frequentem; deinde etiam Abbatem quendam adfuisse, cuius nomen non exprimitur. Egolismensis multum hic in nominibus variat, in reia Caroli M. Missi Domni Imperatoris de Constantinopoli reuersi sunt: & venerunt cum eis legati Nikifori Imperatoris, qui tum Remp. regebat (Nam Herenā post aduentum legationis Franciæ deposuerunt) quorum nomina fuerunt, Michaël Episcopus, Petrus Abbas, Calistus Abbas, Candidatus Abbas. Qui venerunt ad Imperatorem in Germaniam super fluuium Sala, in loco, qui dicitur Salts, & pactum faciendę pacis in scripto susceperunt. Et dimissi cum epistola Imperatoris Romā regressi, & Constantinopolim reuersi sunt. Idem Michaël post necem Nicephori anno 811. à Michaële Imperatore ad Carolū M. legatus missus est, vna cum Arsafo & Thagnosto, ut refert Elogismensis ibidem. Hermannus noster anno 811.

lar: Heyto Abbas Augiæ & Episcopus Basileæ cum Hugone & Haione Comitibus Constantinopolim missus hodieporicum suum scripsit. Interim Nicephorus Imp. cum Bulgariibus pugnant occisus.

Abbatem) Quodnam huius Abbatis nomen? Egolismensis tres Abbates hac legatione functos, ait, Petrum, Candidatum & Calistum. De Petro assentior. De duobus iamiam dispiciemus. Inuenio etiam à Carolo M. ad Michaellem Imp. anno 813. missum esse quendam Petrum Abbatem Monasterij Nonantule in Italia. An hic accitus à Nicephoro, militi gnarus moris & oris, legatione obiit ad Karolum, & à Karolo demum ad Constantinopolitanos? Non definio.

Calistumq; gloriosum Candidatum) Non possum assentiri Egolismensi, qui Calistum & Candidatum Abbates facit. Calistus dignitatem illam inuidia & potentia plenam habuit Candidati: quod patet ex eo cum gloriosus Candidatus appellatur. Scio Candidatos fuisse inter milites, quos Vegerius Candidatos duplares vel simplares. In passione Faustini & Iobitæ: Tradidit huc Saprício primicerio scholæ Candidatorum. Hieron in Hilarione: Candidatus Constantij Imperatoris. Procopius 3, de bell. Goth. ἢ δὲ οὐτὸ ἀνδρῶν βασιλέως ἰουστινιανῶς διουφῶς, ἐπιπέε τοὺς κανὸν ἰστῆρας καλεμένους καὶ ἐπὶ τῆς Victor Tunnumensis in Chronico, quod nuper ex m. s. bibliotheca Toletanæ edidimus, laudat Iustinianum Candidati militiam functum sub Iustino Imp. Vide Cuiacium ad lib. 12. Cod. tit. 35. Item in Paratitl. DD. lib. 1. tit. 13. & in paratit. in Cod. lib. 1. tit. 30. ubi erudite ostendit, Candidatos Cæsaris in numero questorum fuisse. Qualem se fuisse cum fratre Velleius Paterculus scribit, & ab honore ad præturam conscendisse. Recitabant Imperatores suas orationes, epistolas & libellos in Senatu per Candidatos. Quætor Martyrij S. Stephani sub Constantino Copronymo passi apud S. Damascenū in fine meminit Callisti cuiusdam, qui anno 762. sæuijt in Catholicos: Callistum quendam Patritij ordinis summa secum familiaritate deunctū, atq; suam hæresim apprime callentē, & eximia dicendi facultate præditum ad se accersit.

fol. 31. v. 3.

Artatij glorio hispatarij) Ita corrigo: nam paulo superius vocat *Arasium gloriosum spatarium*. *Egolismensis* vocat hunc *Arasium*, *Protospatarium*. de dignitate & vestitu *Protospatarij* lego *ropalatum* de officii *Constantinop. palatij*. sed ne quid celem. quem supra typographus *Arasium* dedit; m. s. codex ita dubia litera scribit, ut nescias *Arasium* ne, an *Arasium* vocet. Quare utrobique *Arasium* appello. Hic locus in m. s. claris literis ita habet. *Arasidi gloriosi patrij. an legendum, Patriij?* Non desinio. Scio ex *Theophrasto* à proceribus Principum coniurationis contra *Nicephorum* electum esse *Arasium Quæstorem & Patritium*, virum pium & rationabilissimum. Quod cum multiformiter *Nicephorus* cognouisset, ipsum quidem cæsum ac tonsum monachum fecit & exilio relegatum in *Bithyniam* misit. At hæc contigerunt anno 807. *Nicephori sexto*. noster verò *Arasius* anno dicitur *Michaële Imp. ad Carolum M* iterum legationem obiit: unde patet alium esse, nisi quis dicat à *Michaële Nicephori* successore *Arasium* ab exilio revocatum. Ego malim *Arasium* retinere, & ab *Arasio* distinguere.

21. Amabilem) m. s. animam amabilem fraternitatem.

IN EPISTOL. XI.

fol. 33. v. 32.

M Artis stella) Ex his colligere licet an. 799. esse scriptam hæc epistolam. Tunc enim stellam *Martis* iterum comparuisse *Natalitici* illius temporis sibi gratulati sunt. Neque enim hunc locum *Alcuinus* aliorum traho. *Egolismensis* in vita *Caroli M.* Hoc anno, id est, ab *Incarnatione Domini* 799. sydus *Martis* à superioris anni *Iulio* vsq; ad huius anni *Iulium* nusquam in toto cælo videri potuit. Et hoc est, quod *Alcuinus* ait: quam sol diutissime tenuit, sed *Nemæi leonis* terrore liquit. Nam 23. vel 24. Julij *Sol Leonis signum* iniecit.

3. Traditaq; est cancro) m. s. traditaq; est cancro per hiemestres dierum hic multum dimisimus.